

# Landesbibliothek Oldenburg

## Digitalisierung von Drucken

### **Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorum Opusculorum**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm, Aliarvmqve Observationvm ... )



Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX. Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

**Beyschlag, Friedrich Jakob**

**Halae Suevorum, M.DCC.XXIX**

I. Schediasma De Nimio Eoque Noxio Historiae Litterariae Studio Quo Lectorem Benevolvm Ad Orationem Solennem De Philosophia Polemica sobrie in docendo pertractanda [...]

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16134**



I.

SCHEDIASMA

De

NIMIO EOQUE NOXIO

HISTORIAE LITTERA-  
RIAE STUDIO

Quo

LECTOREM BENEVOLVM

Ad

ORATIONEM SOLENNEM

De

Philosophia Polemica sobrie  
in docendo pertractanda

In

*Auditorio Aegidiano habendam*

submitte &amp; decenter

invitat

M. SIGISMVNDVS IACOBVS APINVS,

Log. &amp; Metaph. Prof. Publ. (\*)

*Tom. I. Fasc. IV.*

Y y

Q. D.

(\*) Schediasma hoc, quod illis addi potest, quæ de eodem argumento in præf. huius Sylloges scripsimus, rogatu huius Viri celeberrimi nobisque faventissimi, cum oratione eiusdem & Epistola grat. huic opellæ inserimus.

## Q. D. B. V.

**I**Nter dona prorsus singularia & verbis non satis deprædicanda, quæ omnium rerum laudandarum auctor & conservator maximus, largissima manu in nos contulit, haud immerito numerari debet optimarum litterarum exquisitissimus cultus, qui tanta cepit incrementa, ut iure suo hoc ævum *fecunda omnis sanioris doctrinæ mater* saluari queat. Quod si enim ego nunc diffuse dicerem de illustribus seculi nostri inventis, de profligata barbarie Philosophiæ Scholasticæ, deque singulari omnium fere disciplinarum augmento, in quibus certatim cultiora ingenia sese exercuerunt, easque a scoriis suis, ut ita dicam, purgarunt, levis earum recensio iusta volumina sibi postularet, & a quam plurimis est præstitum. (a) Quemadmodum vero ea rerum humanarum est conditio, ut si in summo quasi felicitatis gradu positæ credantur, zizania  
tacite

---

(a) Conf. JOH. BURCHARDI MAII Oratio ausp. de scribenda Historia Univ. seculi XVII. & GE. PASCHII Inventa Nov. Antiq. Lips. 1700. in 4.

tacite irrepant & sperandos fructus iterum  
supprimant; ita vehementer doleo vicem  
orbis litterati, quod multi Musarum filii ex  
*nimio Historiæ litterariæ studio*, dum nucleum  
quærunt, nil nisi putamina reportent, quia  
nimis sero, huic auro multum ignobilioris  
metalli admistum esse suo damno intelli-  
gunt.

Non equidem is sum, qui *doctas enar-*  
*rationes fatorum, quæ scientiis earumque paren-*  
*tibus obtigerunt*, contemtui tradere velit,  
utpote cui optime constat, tam longe la-  
teque se eius notitiæ utilitatem diffundere,  
ut teste Celeb. MORHOFIO (b) *nulla tam sit exi-*  
*gua disciplina, cui illa non faces præferat: ne*  
*quid dicam de ipso Intellectu, qui in contempla-*  
*tione τοῦ ὄλου magis perficitur*; sed hoc saltem  
brevissimis ostendere animus est: NIMIAM  
HISTORIAE LITTERARIAE CULTVRAM, QVAE  
EX PARTE SCRIBENTIVM ET DISCENTIVM NON  
SINE MAGNO SOLIDIORIS ERVDITIONIS DECRE-  
MENTO HODIE OBSERVATVR, FRENIS COM-  
PESCENDAM ESSE.

Superflua equidem hæc mea videri pos-  
set animadversio, quia iam iam nonnulli

Y y 2 ex-

---

(b) Polyhist. Lit. L. I. c. II. §. X.

extitere, (c) qui huic malo medelam afferre laborarunt. At enim vero inveterati morbi multis remediis & secundum illud tritum: VIS VNITA FORTIOR, coniunctis plurium Medicorum consiliis debent depelli. Hinc a cepto proposito abstinere nolui, sed ita susceptum argumentum pertractare constitui, ut præiudicatis opinionibus liberati homines amplio rem rei declarationem non amplius sint desideraturi.

Quare nunc omnium primum attendendi sunt SCRIBENTES. O quam multi eorum sunt, qui non habita vel dignitatis materiae vel publicæ utilitatis ratione, scribendi occasionem desumunt mox a *prænomini*bus, mox a *cognominibus*, (d) mox a *variis fatis & specialissimis*

---

(c) v. gr. Celeb. MENCKENIVS in præf. ad Lex. Erud. & Cl. Jo. LAVR. de MOSHEIM, qui similes fere cogitationes Tomo VI. Miscell. Lips. p. 63. inseruit, contra quem vero personatus GRATIANVS AGRICOLA AVLETES in den sonderbaren Reisen in unbefandte Lânder / Part. II. p. 238. nonnulla monuit. Adde, si placet, D. G. C. SHELHAMERI Orat. de augmentis & decrementis Scientiarum, ut & GE. HEINR. ZINCKII schediasma de re Litteraria & Bibliothecaria.

(d) vid. Miscellanea Lipsiensia. T. VI. p. 1. & T. VIII p. 162.

lissimis circumstantiis eruditorum (e), quæ deinde sine omni momentorum delectu excutiunt protrahuntque in lucem, cum tamen sapientum iudicio domi satius latere potuissent. Sed quis non videt hodie multos secundum Alamodalitatem (f) scripta sua emittere, h. e. genio seculi se scribendo accommodare? Et certe, si verum est, quod de antiquis Græcis memoratur, eos, quando viderint inutilium chartarum scriptorem, dixisse: ἐστὶν ἱερεὺς τῶν λεπτοτάτων λήρων, multos eiusmodi hodie reperiri Sacerdotes, qui subtiles vel tenues nugas pro mysteriis venditant, nemo adeo facile negabit. (g)

Y y 3

Alii

(e) v. gr. an Taubmanni mater Sybillæ vel Virtulæ nomen gesserit? an Xantippe bona vel mala Vxor fuerit? an Hollstenius & Leo Allatius viginti annos una penna scripserint? an Epicteti lucerna vel Protei Stoici baculus sint in rerum natura etc.

(f) vid. GEAMOENVS de Alamodalitate scribendi in Miscell. Lips. T. V. p. 67.

(g) introducendum igitur esset linguarium, de quo MURETVS in variis lect. L. XII. c. V. p. 458. dicit: „linguarium erat, quod pro lingua, quæ temere locuta est, penditur. „ Applicentur hæc verba ad scriptores nominatos & conf. Observ. Hall. T. II. p. 1. de intempestivo libris scribendi pruritu.

Alii quicquid vel ullo modo ad Historiam Litterariam pertinere hariolando coniciunt, corradunt, ex decem libellis undecimum conficiunt, ex iudiciis aliorum & relationibus parum sæpe sinceris & ex affectu sinistro prognatis sapiunt, hisque freti subsidiis, *Introductiones in Historiam Litterariam, Adversaria Litteraria, Libros in ANA, Compendia, Analec̃ta historico-Litterario-Curiosa, &c.* orbi erudito obtrudunt, sed accurata libelli inspectio, non nisi *dispendia* esse, docet. Multi doctos impostores agunt, & data opera ea consignant litteris, quæ in cerebro tantum nata sunt. Provocant ad rara Manuscripta, quorum vidend. copia illis nunquam data, sicque fictis eiusmodi circumstantiis magnam H. L. partem incertam reddunt. Alii denique de civitate litteraria optime se mereri putant, quando non sine labore omnes auctores, qui de hoc vel isto argumento scripserunt, certis titulis, secundum ordinem Alphabeti locatis, subscribunt, sed nullo iudicio addito, quinam ex his omnibus primario evolventi & comendandi veniant, quidve unus præ aliis eximium habeat aut singulare. Plura de scriptoribus ipsis monere, nostrum excederet pro-

propositum, & fines schediaſmatis transgrederetur. Nemo tamen inficias ibit, qui ſaltem e longinquo rem litterariam ſalutavit, librarias tabernas eiſmodi ſcriptis tumultuaria opera compositis abundare, ut facili negotio *Historia Historia litteraria critica* conſcribi poſſet.

AD DISCENTES progredior, quos menſtris illis collectionibus, vulgo *Journal* dictis (h) vel aliis ſimilis farinae libris ita defixos deprehendes, ut iſtis ſubmerſi, ſepoſitis gravioribus ſtudiis, nihil extra ſe curare videantur. Nonne adeo trita eſt *Historia Litteraria*, ut etiam Iuvenes vix ex ephēbis egreſſi, alios eam docere non dubitent? Rectius facerent, meo iudicio, ſi GVIL. SALDENI tractatum *de libris varioque eorum uſu*, MALEBRANCHII librum *de inquirenda veritate* & ſimiles autores legerent, vel fideli præceptorum ſuorum iſtutioni ſe ſubmitterent. Sed hæc omnia naſutulis hiſce ſordent. Se ſtellas dinumerare poſſe autumant. Nihil loquuntur, nihil chartis tradunt, niſi

Y 4

quod

---

(h) de copia horum ſcriptorum vid. H. P. L. M. Gründl. *Nachricht von Journalen* / Lipſ. 1718. cum continuatione, licet nondum perfecta, A. 1720.



quod pipere & sesamo litterario conspersum. Putant exhausta libròrum & viro-  
rum eruditorum notitia sese omnem eru-  
ditionem ebibisse, & omni data occasione  
centum pluresque autores nominant, sicque  
non sine ostentatione, ut bene iudicat Cl.  
de MOSHEIM l. c. aliis persuadere volunt, se  
esse *Musagetas*, se esse *Hercules* & *ambulantes*  
*Bibliothecas*, cum tamen prudentes rerum  
censores facile intelligant, quod hæc indu-  
stria summo cum studiorum decremento &  
damno suscipiatur, id quod paucis adhuc  
a nobis declarandum erit.

Sciunt itaque isti Polyhistores (ita enim  
vocari volunt) quod tempus, cuius tamen  
debeant esse observantissimi, hoc modo ne-  
gligant, & studiorum rationem inverso  
plane ordine suscipiant. Quod si enim se-  
cum cogitarent, ad Academias, tanquam  
bonarum artium mercaturas, se esse profe-  
ctos, non ut studiis, quæ in deliciis habentur  
& animum pascunt, sed gravioribus ne-  
gotiis operam dent, non video, quid excusa-  
tionis loco proferre possint. Certe si ad hunc  
usque diem male audit XENOCRATES, quod  
maximam vitæ suæ partem in copulandis  
litteris & syllabis subducendis impenderit,  
et

et ARISTOMACHVS SOLENSIS risum movet, quod in natura muscarum indaganda pulicumque saltibus metiendis totos sexaginta annos insumserit; (i) stultorum hi profecto constituunt numerum, qui mediis ad eruditionem delectantur, sed eam nunquam aggrediuntur, libros sciunt, nec legunt, de præstantia librorum iudicant, nec intelligunt. Egregius hanc in rem habetur locus in BERNH. Serm. xxxvi. in Cant. qui præcipuos eruditionis fines, tum spurios, tum veros enumerat; *sunt namque, inquit, qui scire volunt, eo tantum fine, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciatur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt qui scire volunt, ut scientiam vendant, verbi causa, pro pecunia, pro honoribus &c. & turpis questus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut edificent alios, & charitas est &c.* Non vereor addere: *Et sunt qui scire volunt Historiam Litterariam, ut omnis humane sapientie censores iudicentur, & turpis iactantia est.* Porro tales homines a nimio H. L. studio avocare deberet mediolorum insufficientia, sine

Y y 5                      qui-

---

(i) Vid. RICHERIVS in Obstetrice animorum, c. II. p. 22. sq.

quibus, etiamsi dies noctesque insumant, valde exiguos & sæpe nullos profectus facere possunt. Nam si secundum BACONEM de VERVLAMIO (k) *Historia Litteraria circa doctrinam & artes, libros & scholas, & denique eruditos* versatur, quomodo quæso quis de doctrinarum & artium origine, augmento & decremento, fati &c. de librorum & scholarum præstantia, de eruditorum rebus præclare gestis iudicium solidum formare poterit, qui disciplinarum experts earum nomina saltem novit? Sunt certe magis muti quam pisces, cum a verbis ad rem ipsam deventum est. Potest quis optime in H. L. versatus & tamen gnaviter indoctus esse. (l) Et ut paucis dicam, quod res est, ea iam vivimus tempora, ubi non licet autoritatibus pugnare, sed accedere debet rerum soliditas & accurata quæstionum scitu necessariorum evolutio, eaque clara & evidens, ut in assensum homines, quantum fieri potest, rapiat, quam vero nunquam assequuntur, qui vel ad unam aut alteram classem referendi sunt.

Hæc


---

(k) In libro de augmento & dignitate scientiarum.  
 (l) Quod docte ostendit Cl. MOSHEIM. l. c. p. 72.

Hæc autem dum scribo, simul observo, hunc litterariæ historiæ pedantismum non ab ipsa Historia, sed a cultore præiudiciis occupato derivandum esse. Et quemadmodum ab initio statim monui, quod non satis studium Historiæ Litterariæ recte & suo tempore institutum, commendari possit; ita in fine meditationis nostræ omnes & singulos intempestivos Historiæ Litterariæ amatores, quibus possum precibus, exoro, velint hoc meæ petitioni dare, & sobria eius tractatione rebus suis melius prospicere, ne damno suo aliquando, sed nimis sero experiantur: in omnibus aliquid, in toto nihil scire.

Hæc invitatoriæ epistolæ loco scribenda putavi, cum ex more laudabili & perantiquo cras, Deo Volente, mihi publice facienda sint verba muneris auspicandi gratia, posteaquam unanimi suffragio *Perillustrium Dominorum Curatorum* Logicæ Metaphysicæque scientiæ profitendæ in florentissimo Auditorio Aegidiano gratiose mihi iniunctum sit officium. Ut igitur Orationem meam DE PHILOSOPHIA POLEMICA SOBRIE IN DOCENDO PERTRACTANDA, *Perillustres Reipublicæ Norib. Proceres atq; Patres, Magnifici Dnn. Consiliarii, Summe & Plurimum Reverendi, Prænobilissimi*

*simi, Amplissimi, Experientissimi, Clarissimi, Theologi, Iurisconsulti, Medici, & quotquot sunt, quibus Sapientia & Litterarum Studia sunt cordi, benevole audire dignentur, ea qua par est observantia, modestia & humanitate rogo & contendo.* P. P. NORIBERGÆ  
D. III. CAL. NOVEMBRIS CIO IOCCXXII.



II.

Eiusdem ORATIO (\*) inauguralis

De

Philosophia Polemica sobrie  
in docendo pertractanda.

P. P. Tit.

**D**ispicienti mihi de idoneo primi sermonis argumento, plurima, nec ab hoc loco & tempore, nec ab officio gratiose de-

---

(\*) Nondum edita hæc est oratio, auspicando in auditorio Ægidiano Noriberg. muneri Professorio a Cel. Apino præmissa. Damus vero eam ex apographo, ab eodem nobis benevole transmissa, & nitidissime accuratissimeque exarato Noribergæ a persona sexus feminini, quod idem per literas nuperrime nos docuit.